



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

**D. Burchardi VVormaciensis Ecclesiae Episcopi,  
Decretorum Libri XX. ex Consiliis, & orthodoxoru[m]  
patru[m] Decretis, tum etiam diuersaru[m] nationum  
Synodis, ceu loci communes congesti, in quibus ...**

**Burchardus <Wormaciensis>**

**Parisiis, 1549**

Quòd vir fidelis à muliere infideli separari non debeat. ix.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-10722**

*Vi sponsus et sponsa ante nuptias à sacerdote benedicantur. Cap. VII.*

**V**T sponsus ac sponsa cum precibus & oblationibus à sacerdote benedicantur, & legibus spòlerur ac donetur, & à paranympis custodiatur, & publice solenniterque accipiatur. Biduo etiam ac triduo abstineant se, & doceantur vi castitatem inter se custodiant, certisque temporibus nubant, vt filios non spurios, sed hæreditarios Deo & seculo generent.

*Ex decr. Sotheris pap. ca. 5*

*De primo coniugio. Cap. VIII.*

**I**N primo coniugio debet presbyter Missam agere, & benedicere ambos, & postea se abstinere ab Ecclesia XXX. diebus.

*Ex cõcil. Mediola. Cap. 2.*

*Quod vir fidelis à muliere infideli separari non debeat.*

*Caput IX.*

**S**I quis frater vxorem habet infidelem, & hæc consentit habitare cum illo, non dimittat illam. Et si qua mulier habet virum infidelem, & hic consentit habitare cum illa, non dimittat virum. Sanctificatus enim erit vir infidelis in muliere fideli, & sanctificata erit mulier infidelis pervirum fidelem.

*Apostolus dicit.*

*Vt in Cristianorum nuptiis non saltetur.*

*Caput X.*

**Q**uod non oporteat Christianos euntes ad nuptias plaudere vel saltare, sed venreabiliter cœnare, vel prandere, sicut Christianos decet.

*Ex cõcil. Laodicen cap. 53.*

*Vt viduam nemo furetur in vxorem. Cap. XI.*

**S**I quis viduam furatus fuerit in vxorem, vel consentiens ei, anathema sit. Et responderunt omnes tertio, anathema sit.

*Gregor. dicit*

*Vt virginem nemo furetur in vxorem. Cap. XII.*

**S**I quis virginem, nisi desponsauerit, furatus fuerit in vxorem, vel consentiens ei, anathema sit. Et responderunt omnes tertio, anathema sit.

*Idẽ eiusdẽ*

*De virgine vel vidua furata. Cap. XIII.*

**S**I quis virginem aut viduam furatus in vxorẽ, nisi fuerit à se desponsatam, anathema sit.

*Ex decr. Eusebii pa. ca. 10*